

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

12 April 2010

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. Thomas Aquinas, Hymn for the feast of Corpus Christi (ca. 1264)

Pange, lingua, gloriosi
corporis mysterium
sanguinisque pretiosi
quem in mundi pretium
fructus ventris generosi
rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
ex intacta virgine
et in mundo conversatus
sparso verbi semine
sui moras incolatus
miro clausit ordine.

In supremae nocte cenae
recumbens cum fratribus
observata lege plene
cibis in legalibus
cibum turbae duodenae
se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
verbo carnem efficit,
fitque sanguis Christi merum
et, si sensus deficit,
ad firmandum cor sincerum
sola fides sufficit.

Tantum ergo sacramentum
veneremur cernui,
et antiquum documentum
novo cedat ritui;
praestet fides supplementum
sensuum defectui.

Genitori genitoque
laus et iubilatio,
salus, honor, virtus quoque
sit et benedictio,
procedenti ab utroque
compar sit laudatio.

2. The oath of the emperor Henry IV at Canossa (1077)

Ego, Heinricus rex, de murmuratione et dissensione, quam nunc habent contra me archiepiscopi et episcopi, duces, comites caeterique principes regni Teutonicorum et alii, qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum, quem dominus papa Gregorius constituerit, aut iustitiam secundum iudicium eius aut concordiam secundum consilium eius faciam, nisi certum impedimentum mihi vel sibi obstiterit; quo transacto, ad peragendum idem paratus ero. Item, si idem dominus papa Gregorius ultra montes seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mei parte et eorum, quos constringere potero, ab omni laesione vitae et membrorum eius seu captione—tam ipse quam qui in eius conductu vel comitatu fuerint seu qui ab illo mittuntur vel ad eum de quibuscumque terrarum partibus venerint—in eundo et ibi morando seu inde redeundo. Neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo consensu, quod contra honorem suum sit; et si quis ei fecerit, cum bona fide secundum posse meum illum adiuvabo.

3. Adam of Bremen on the character of the Swedes (ca. 1075)

De Sueonia vero non tacent antiqui auctores, Solinus et Orosius, qui dicunt plurimam partem Germaniae Suevos tenere necnon montana eius usque ad Ripheos montes extendi. . . . Populi Sueonum multi sunt, viribus et armis egregii, preterea, tam in equis quam in navibus iuxta, optimi bellatores. Unde etiam sua potentia ceteras aquilonis gentes constringere videntur. Reges habent ex genere antiquo, quorum tamen vis pendet in populi sententia. Quod in commune omnes laudaverint, illum confirmare oportet, nisi eius decretum potius videatur—quod aliquando secuntur inviti. Itaque domi pares esse gaudent, in prelium euntes omnem prebent obedientiam regi vel ei, qui, doctior ceteris, a rege prefertur. Si quando vero preliantes in angustia positi sunt, ex multitudine deorum, quos colunt, unum invocant auxilio; ei post victoriam deinceps sunt devoti illumque ceteris anteponunt. Deum autem christianorum iam communi sententia fortiolem clamant omnibus esse; alios deos sepe fallere, illum porro semper astare certissimum adiutorem in oportunitatibus.

4. Leonardo Bruni explains why he has written his memoirs (ca. 1440)

Qui per Italiam homines excelluerint aetate mea et quae conditio rerum quaeve studiorum ratio fuerit, libuit in hoc libello discursu brevi colligere. Hoc enim temporibus debere videor meis, ut eorum, qualiacumque tandem fuerint, per me in posteros tradatur notitia. Quod utinam fecissent homines superiorum aetatum, qui aliquam scribendi peritiam habuere; non in tantis profecto tenebris ignorantiae versaremur. Mihi quidem Ciceronis Demosthenisque tempora multo magis nota videntur quam illa quae fuerunt iam annis sexaginta. Tanta illi clarissimi viri aetatibus suis lumina infuderunt ut, etiam post tam longa decursa tempora, quasi ante oculos positae discernantur. At enim quae postea secuta sunt saecula, mirabilis premit occulitque inscitia. Eandem quoque in Platone, qui fuit aetate superior, diligentiam fuisse video, cuius libros epistolasque dum legimus, quasi picturam quandam illorum temporum viventem adhuc spirantemque intuemur.